

G  
G  
1046112



# REGVLAE PROVINCIALIS.

De ijs, quæ ad eius personam, &  
communem totius prouinciæ  
administrationem spe-  
ctant. Cap. I.



V AE Præpositis domorum, & Re-  
ctoribus, quod ad eorum personas at-  
tinet, in regulis præscribuntur, eò di-  
ligentius seruare enitatur Prouincia-  
lis, quo pluribus pro ratione officij sui vita spiri-  
tualis studio præire debet.

2 Finem officij sui ( quem ante oculos habebit ) in  
eo positum esse intelligat , ut prouinciam sibi com-  
missam ; in acquirenda perfectione , iuxta proprij in-  
stitutionem, & regulas ipsi datas promoueat .

3 Imitetur in gubernatione caritatem , mansue- In bullis In-  
tudinem, & benignitatem Christi Domini nostri , cietatis .  
stituti So-  
ut iuxta eam normam , quam tradiderunt Apo- a 1. Petri  
stoli , non dominans , sed forma factus gregis ex c. 5.  
animo exemplo magis , quam uerbo subditos ad per-  
fectionem dirigat .

4 Seueritatem suo tempore cum benignitate misceat, suamque auctoritatem per solidas virtutes tueatur, ac dilectionem, & curam suorum praeservando modeste, & circumspicte præcipiendo, ita amabilem se reddat, ut omnes fidenter ad illum recurrere possint.

Par. 9. c. 6.

§. 1. ¶ lit.

A.

5 Solicite animum ad gubernationem applicet, neque tamen in ea ita distrahitur, ut in studio orationis, & sanctis desiderijs quibus totam sustentare debet Provinciam, intepescat. quamuis autem ordinariae concionari non debet, si quando tamen per occupationem officij sui commode licebit, & hoc, & alia Societatis ministeria exercere poterit.

6 Nullas regulas, aut ordinationes, aut consuetudines uel abroget, uel inducat inconsulto Generali, sed secundum eas, quas habet gubernet Provinciam.

P. 9. c. 3. §.

8 ¶ lit. D.

& p. 4 ca.

xv. lit. B.

7 Sicut Provincialis, quando necesse est, in regulis, ordinationibus, decretis, & in ipsis etiam constitutionibus cum particularibus dispensare potest, sic cum dispensauerit in rebus maioris momenti, quae uideantur urgere, & in quibus sine graui incommodo Generalis responsum expectari nequeat, debet eum primo quoque tempore de huiusmodi dispensatione; & eius causa admonere.

8 Præter facultates, quæ in regulis conceduntur, habet etiam eas omnes, quæ in compendio facultatum Societatis Provincialibus concessæ sunt, quas ex compendio ipso intelliget.

Omnies

9 Omnes facultates eorum Superiorum, qui Provinciali subordinati sunt, ad ipsum quoque pertinent, ab ipsoque etiam suspendi poterunt, quando ei expedire in Domino videbitur.

10 Viceprovincialis easdem omnino facultates habeat, quas Provincialis nisi à Generali, vel Provinciali limitentur: ipse vero rationem administrationis non immutabit.

De iis, quæ illum ad bonam Provinciæ administrationem iuuabunt. Cap. II.

11 Consultores quatuor habebit a Generali designatos in ijs locis, ubi frequentius residet, quoad fieri poterit, cum quibus res graviores communicabit: quod si absentes sint, per transmissas litteras: <sup>b</sup> quorum unus ab eodem Generali constitutus erit eius admonitor, & socius. In quavis autem domo, vel collegio opera Superioris, & eius consultorum, quos ad consultationem adhibendos iudicaverit, utatur in rebus ijs, de quibus ordinarie consultandum erit.

P. 9. c. 6. §.  
13.

<sup>b</sup> Ibidem.  
c. 4. §. 4.

12 Si expediret præter Consultores, alios etiam nonnunquam ad Consultationem uocare poterit; & eos quidem, quos de rebus propositis melius indicare posse existimauerit; vel si absentes sint, in-

A 3 bere,

bere, ut de rebus ijsdem sententiam suam ad se transmittant.

13 Literas, & scripta, quæ pertinent ad rem, de qua consultatio habenda est, ostendat Consultoribus (nisi quid obster) ut bene informati sententiam suam melius dicere possint.

14 Cum ordinationes aliquas communes a Generali acceperit, illas Superioribus suæ Provincie, & Consultoribus manifestari faciat.

15 In proponenda re, de qua deliberandum est, in neutram partem animi sui propensionem ostendat, ne consultoribus declinandi in eam partem detur occasio, sed quisque liberius in Domino suam sententiam aperiat.

16 Si quando aliquid occurrit, de quo non licet cum Consultoribus agere, poterit iuxta primum, & secundum modum in exercitiis ad electionem faciendam traditum, quid agendum sit deliberare.

*Par. 9. cap.  
§. 4.*

17 Libenter se ab alijs admoneri patiatur de ijs, quæ ad officium, & personam suam pertinent, & eum præcipue, qui Admonitoris officio fungitur, benigne audiat.

18 Habeat secum literas Apostolicas authenticas, & compendium facultatum Societatis, constitutiones, decreta, regulas omnes, & quæ a Generali ordinantur, eaque bene intelligat, & obseruari faciat.

In

PROVINCIALIS.

7

19 In loco, in quo diutius ei residendum est habebit Archivium, in quo asseruabit instrumenta authentica, libros, & cetera, quae ad officium Provincialis, & communem usum provinciae pertinent, que omnia ex catalogo a se subscripto successor tradet.

20 Habeat libellum, in quem referat ea, quae consultanda, uel prouidenda, uel ad Generalem scribenda sunt, ne memoria excidant.

21 Orationes, & missas ad tempus indicere potest etiam in tota prouincia pro causis, qua uidebuntur id exigere, modum tamen in ea re non excedat.

Par. 2. c. 3.

§. 2. & p.

7. c. 2. lit.

M & c. 4.

§. 3. & par.

10. lit. B.

De Superioribus ei subordinatis, & eorum officialibus. C. 111.

22 ET SI Præpositos domorum, & Rectores collegiorum, & domorum probationis sue prouinciae constituere non potest, si tamen necesse esset aliquando mutationem facere Superioris alii- cius, & periculum esset in mora, poterit aliquem qui uices Superioris gerat, interim constituere, do- nec Generalis admonitus prouideat: Ministros au- tem, Procuratores, & Præfectos studiorum ipse de- signabit, & Subministros, & Præfectos infirmorum etiam ubi opus esse iudicauerit.

23 Constituat Magistros nouiorum in domi- bus, & locis probationum non separatis, a Gene- rali

Par. 3. c. 1.

§. 12.

ralitatem confirmandos, & eos quidem, qui in rebus spiritualibus exercitati sint, & in modo procedendi Societatis nostrae bene probati.

P. 4.c. 10. 24 Designabit Praefectos rerum spiritualium in omnibus collegijs, & domibus professis, quales in prima regula officij illorum describuntur; itemque ordinarios nostrorum Confessarios, ex quibus ferè conueniret Praefectos rerum spiritualium diligere.

25 Deligere poterit Consultores, & Admonitores eorum, qui prasunt in Provincia, ita ut statim suo officio fungi possint: scribet tamen de ijs ad Generalem, ut ab eo confirmantur, antequam Consultores nominentur.

Can. 7. 26 Prædicatores, & Confessarios ipse constituet, tr. congr. præmiso tamen doméstico examine, & approbatione Ordinariorum iuxta formam Concilij Tridentini.

b P. 4.c. 6. b 27 Lectores ordinarios in omnibus classibus, c li. F. &c. & primarios officiales præter Rectorem, & Cancel 13. §. 3. larium in universitatibus deligat, nouas tamen le- c Ibidem ctiōnes nōn addat, d nec scholas usquam aperiat, e c. 17 lit. A. d Ibid. c. nec etiam puerorum in legendō, & scribendo in- 7. lit. A. struendorum Præceptores sine facultate Generalis e Ibid. c. instituat.

P. 8.c. 1. §. 28 Tueatur auctoritatem Superiorum immedia- 4. & 6. & torum in subditos, ita tamen, ut constet posse omnes p. 9.c. 6. §. 2 ad mediatos recurrere: ideo quicquid agendum uel immutandum erit, quod ad immediatorum officium per-

## PROVINCIALIS.

pertineat, per eosdem fieri curabit.

29 si quos ad gubernationem idoneos iudicabit,  
curet de illis paulatim & negotijs tractandis, &  
domesticis ministerijs obeundis experimentum su-  
mere, ut & ipsi talenti accepti specimen dare, &  
Societatis officia eis tuto committi possint.

30 Observet si qui detineantur in ministerijs ali-  
quibus, qui magis idonei essent ad alia: eam tamen  
habeat cuiusque rationem, ut uniuersale bonum sem-  
per præferatur.

31 Neminem ab obedientia Superiorum immedia-  
torum inconsulto Generali eximat, nisi periculum es-  
set in mora; & tunc certiorem faciat Generalem de  
persona, & de causis propter quas eam exemerit .

## De admittendis. Cap. I I I I.

32 E os ad probationem per se, uel per alios P. I. c. 2.  
admittere poterit, quos ad institutum nostrum  
idoneos in Domino iudicauerit: cauebit tamen, ne  
cuiusquam admissio iustum aliquam externorum,  
offensionem, aut Societatis nocumentum pariat.  
quod cum ijs potissimum obseruandum erit, qui in  
scholis nostris instituuntur.

33 Attendant ne nimis sint nostri in hominibus  
ad Societatem alliciendis, sed per uirtutes, & bo-  
nae uitæ odorem omnes ad Christum trahere studio-  
se curent.

Memor-

P. 10. §. 8. 34 Meminerit, quod inepta turba ad institutum nostrum admitti non debet, & obseruari faciat in hoc diligenter regulas officij Examinatoris.

In ex. c. 2. 35 Quod ad prima quinque impedimenta attinet;  
§. 6. & lit. D. & p. 1. et si Societas in nullo eorum dispensare potest, si tam  
e. 3. lit. G. men in eo, qui admitti petit, dona aliqua Dei illu-  
striora cernerentur, Generalem admoneat, quod si de  
eiusmodi impedimentis dubitaret ad eundem recurrat.

P. 1 c. 3. §. 36 In secundarijs impedimentis dispensandi fa-  
g. & li. H. cultatem habebit, praeterquam in deformitate ma-  
gna, aut defectu insigni, qualem habent Eunuchi,  
& in aetate infra 15. & ultra 50. expletos annos,  
& in coniugatis etiam in casu, in quo non est impe-  
dimentum essentiale.

In ex. c. 4. 37 Poterit in casu aliquo anteponere, & postpo-  
§. 9. nere aliqua ex sex experimentis, eaque moderari,  
f Can. 2. & alia in alia permutare, f dummodo biennio; &  
tr. congr. g. In ex. c. bene probentur Nonitijs: § Quod etiam tempus pro-  
4. S. 43. rogare poterit, si opus esse indicauerit.

Can. 2. tr. 38 Poterit etiam cum Nonitijs in secundo anno  
Cong. probationis circa studia dispensare, habitaratione  
personarum, locorum, & temporum prout expedi-  
re in Domino indicabit.

P. 1. c. 2. §. 39 Coadiutores temporales plures esse non de-  
2. & p. 4. c. bant, quam qui necessarij sint ad subleuandas do-  
3. S. 2. & mos, uel Collegia, in rebus quibus occupari Sacer-  
in 1. Cong. dotes, & Scholastici non possunt, sine detrimento  
titu. 6. de- creet. 24. maioris boni.

De

## De dimittendis. Cap. v.

40 **F**acultatem habet dimittendi eos, qui in pri- P. 2. cap. II.  
ma, & secunda probatione ante, & post emis lit. C.  
sauota uersantur. Scholasticos autem approbatos,  
& coadiutores non formatos, qui probationem ab-  
soluerunt, non dimitat, nisi in graibus, & urgenti-  
bus casibus, & qui eiusmodi sint, ut sine graui peri-  
culo Generalis responsum expectari nequeat: de  
bis tamen post dimissionem, Generalem certiorem  
faciat adiunctis causis dimissionis: in alijs uero ca-  
sibus consulatur Generalis, & eius responsum ex-  
pectetur.

41 **S**i dubitaretur in aliquo, an res esset toleran-  
da, & periculum in mora esse uideretur, donec à Ge-  
nerali ueniat responsum, uideat, ubi is possit mino-  
ri cum dispendio detineri: <sup>h</sup> Idem intelligatur de in-  
signiter benemeritis de Societate, & de ijs, qui à P. 2. c. II.  
Generali in eius Provinciam missi sunt, in casibus lit. C.  
etiam palam graibus, & urgentibus: eos enim ne  
in his quidem casibus sine Generalis facultate po-  
terit dimittere.

42 **P**rovincialis erit, iuxta commissam sibi facul-  
tatem, auditis consultoribus iudicare de causis suf-  
ficientibus ad dimissionem: curabit tamen, ne ad hæc  
extrema, nisi quam consultissime, & alijs tentatis  
remedijs ueniantur.

43 **C**oadiutores formatos siue spirituales, siue P. 2. c. II.  
tempo- lit. C.

temporales, & professos nullo modo dimittet.

44 Circa modum dimittendi obseruet ea, quæ in secunda parte constitutionum cap. 3. dicuntur; & intelligat, an is, qui dimittitur, aliquid societati debet, et si quid ei reddi oporteat, iuxta eiusdem cap. declarationem.

*i. P. 2. c. 3. lit. B.*

Par. 2. c. 4. § 3. 45 Declaretur ijs, qui dimittuntur, quod absolu-  
timaneant a uotis simplicibus, si ea iuxta formu-  
lam Societatis consuetam emiserint.

46 Circa dimissos, aut egressos è Societate, & po-  
stea reduclos, uel sponte redeentes obseruentur ea,  
*K. P. 2. c. 4. quæ k in constitutionibus 1 & decretis dicuntur: &*  
*l in 1. cong. si admittantur, denuo examinentur, & probentur;*  
*tit. 2. § 10. & can. 7. prout ipsi uidebitur. si quis autem semel egressus e-  
rr. congr.* huiusmodi homines raro idones ad instituti nostri di-  
sciplinam inueniri.

## De litterarum studijs. Cap.vi.

T. 4 c. 12. 47 **I**N uniuersitatibus, & collegijs in quibus no-  
& 13. &  
c. 6. § 6. stri litteras profitentur, idoneos, & eruditos  
*m Ibidem* professores pro ratione loci, & debiti constituantur;  
*a. 13. lit. C.* & si aliquis lector extraordinarius adiiciendus ui-  
deretur Generalem consulat.

48 Peculiari cura uideat, num lectiones in scho-  
lis nostris, & scholasticæ exercitationes diligenter,  
affidue, atque ordine habeantur: num Magistri &  
discipu-

discipuli suum in Domino officium faciant. & si quid opus esse indicauerit, prouideat iuxta ea, que in quarta par. constitutionum, & regulis habentur.

49 Ipsius prudentiae relinquitur, quid hi, aut illi addiscere debeant iuxta etatem, & ingenium unius cuiusque ad maiorem gloriam Dei; eos autem, quos non esse aptos ad studia inueniet, ab illis remouere poterit.

50 In addiscendis disciplinis ordinem seruari faciat, efficietque, ut prius scholastici in lingua latina solidum iacent fundamentum, quam ad alia maiora studia transeant: curabit uero humaniorum litterarum studia magni fieri, & eorum, qui eas profertur, peculiarem curam haberet: & ne in his professores idonei desint, illorum seminaria & instituet, & conseruabit.

51 Aliarum linguarum studium ualde commendet, datum habeat: hebraicæ uero iystantum concedat, qui in theologie facultate mediocriter eruditu iam sint, aut certe tam humiles, ut sperandum merito sit, hoc studium sine illorum detimento utile ualde futurum.

52 Designet aliquos, qui & probata virtutis imprimis sint, & ingenio polleant, ut absolutis studijs Philosophiae, & Theologie ad ea repetenda priuatum, & quietum studium habeant, & positiue<sup>n</sup> ac sacræ scripturæ se dedant: quo etiam tempore<sup>o</sup> in disputationibus publicis rationem suorum studio-

P. 4. c. 5. §.  
2. & c. 6.  
§. 5.

T. 4. c. 6. §.  
4. & c. 5.  
lit. D. & c.  
13. S. 4. &  
lit. E.

P. 4. c. 6. §.  
5. & lit. D.  
& cap. 13.  
§. 4.

n Ibid. §. 4.  
o Ibidem  
§. 17. & c.  
15. §. 3.

**P.** Ibidem studiorum reddant, Put eas facultates priuatim,  
**c. 6. §. 18.** uel publice ad suam, uel aliorum utilitatem profiteri possint.

**Can. 46.** 53 Diligenter studeat, ut praeceptores philosophiae, cum magno delectu eos Aristotelis interpres legant, qui contra Christiana dogmata impiescriperunt, et ita philosophiam interpretentur, ut Theologiae scholastice quam nobis commendant constitutiones subservire faciant.

54 Curet ut iij, qui propensum animum habent ad aliquam facultatem, in qua possunt insignes evadere, in ea diutius uersentur, habita tamen spirituam profectus ratione, et de talibus Generalem admoneat.

**Par. 4. c. 5.** 55 Qui propter etatem prouectiorem, aut alias  
**lit. D. & c.** causas in facultibus superioribus, et scholasticis studijs progressum facere non possunt, curabit,  
**i3. §. 4. &** ne in illis tempus insument: sed casibus conscientiae  
**lit. E.** discendis dent operam, sintque semper aliqui ex nostris, qui huic Studio diligenter incumbant, ut Societas copiam habere possit operariorum, qui confessionibus audiendis sint idonei.

56 In singulis domibus, et collegijs aliquem constituant, qui in casibus conscientiae bene uersatus sit, ut difficultatibus domi, et foris occurrentibus satisfacere possit.

57 Comædias, et Tragœdias rarissime agi permittat, et non nisi latinas, ac decentes, et prius aut

*aut ipse eas examinet, aut alijs examinandas com-  
mittat: eas uero, atque alias id genus actiones in  
Ecclesia fieri omnino prohibeat.*

58 *Sub finem studiorum Generalem de vniuerscu- Par. 4.c.9.  
insque talento admoneat, & quantum singuli profe- §. 3.  
cerint, ei referat.*

59 *Curet ut nullus ex nostris librum aliquem ex  
una in alteram linguam transferat, aut imprimat,  
absque Prepositi Generalis facultate.*

## De promouendis ad ordines, & gradus literarios. Cap. VII.

60 *Poteſt per ſe, uel per alios praesentare ex no-  
ſtris eos, quos idoneos iuxta iuſtrionem  
a Generali traditam censuerit ad ordines Ecclesi-  
ſicos recipiendos, in conſtitutis tamen Eccleſiae  
temporibus.*

61 *Quamuis in actibus ſcholasticorum commu- Par. 4.c.6.  
nibus exercendi ſunt nostri iuxta conſtitutiones; §. 10. &  
nullus tamen ad Philosophia, uel Theologia gradus, 17. & cap.  
etiam ſi idoneus ſit, promouetur ſine Prepositi Ge 15. §. 13.  
neralis facultate.*

62 *Cum nostri de Generali facultate in vniuer-  
ſitatibus Societatis promouendi ſunt ad gradus li-  
terarios, ſi quain re necessaria ad promotionem erit  
dispenſandum (quod rariffime faciendum eſt, ne hu-  
iuiſmodi*

*iusmodi gradus ueniant in contemptum) ubi id se-  
cerit tam de persona, quam de causa dispensandi, ad-  
moneat Generalem.*

63 *Et si Doctoratus, & Magisterij gradus iux-  
ta constitutiones prædicto modo nostri accipere pos-  
sunt, nomine tamen Doctoris, uel Magistri ratione  
gradus inter se non utantur.*

## De promouendis in professos, & coadiutores formatos, ac scholares. Cap. viii.

*Par. 4. c. 3. §. 3. & p.  
§. c. 4. §. 3. & 6.* 64 *Potest admittere post biennium ad uota sim-  
plicia scholasticorum approbatorum, & coa-  
diutorum non formatorum, quos in domino idoneos  
iudicuerit iuxta regulas, & constitutiones.*

*In ex. c. 1. §. 21.* 65 *Si quos, ut indifferentes admiserit (quod ra-  
rò fieri debet) potest eos applicare ad gradum coa-  
diutorum, uel scholasticorum, sicut magis in Do-  
mino conuenire iudicabit: In hac uero classe indif-  
ferentium ultra tempus biennij probationis nemo  
maneat.*

*In ex. c. 4. §. 16. & p. 1. §. 3. & c. 2. §. 1.* 66 *Scholastici statim finitis suis studijs arbitrio  
bus probationum peragant, quod si commode fieri  
non possit, in dominibus Professorum, uel in colle-  
gijs probarie eos faciat iuxta regulas nouitiatus.*

Finita

67 Finita uisitatione consideret, qui sint idonei in sua Prouincia, ut in coadiutores formatos spirituales, uel temporales, aut in professos iuxta constitutiones, & instructionem a Generali traditam admitti possint, ad eundemque de ea re scribat exhibito prius iudicio Consultorum.

68 Ante quam admittat eos, qui cum Generali facultate professionem facturi sunt, uel uota coadiutorum formatorum, uideat, & obseruet, quæ ab ipsis erunt facienda: eiusmodi sunt dispositio bonorum temporalium, si quæ alhuc habuerint, exercitia spiritualia, confessio generalis, assertionum defensio, & alia, quæ in constitutionibus, & decretis congregationum dicuntur.

69 Qui professionem fecerint, etiam trium uotorum, emittant uota illa simplicia, quæ post professionem emitenda sunt, idque iuxta formulam tertiae congregationis & doctrinam Christianam tam ipsi, quam coadiutores formati spirituales per quadraginta dies intra annum doceant.

70 Habeat librum, in quo eorum nomina scribantur, qui uota solemnia, uel simplicia post biennium in domibus, uel Collegijs sue Prouinciae emittunt iuxta ordinem Praepositis domorum, & Rectoribus traditum.

71 Cum aliqui professionem, uel uota Coadiutorum formatorum fecerint, exempla huiusmodi uotorum, & aliorumquinque, quæ professi post emis-

In ex. c. 1.

§. 8. &amp;c.

4. §. 2. &amp;

27. 38. 41.

&amp; c. 6. §. 8.

&amp; p. 5. &amp;

6. c. 2. §. 12.

&amp; can. 15.

tr. congr.

Par. 6. c. 2.

§. 1. &amp; p.

10. §. 6. &amp;

can. 130.

tri. congr.

q. can. 55.

tr. congr.

Par. 5. c. 9.

&amp; 4.

B sam

sam professionem faciunt, nomine ipsorum subscri-  
pta ad Generalem quamprimum transmittat.

P. 6. c. 2. §.  
3. & 4. ¶  
P. 4. c. 10.  
§. 3.

72 Constituat, iuxta constitutiones, ut professi,  
& coadiutores spirituales formati sue prouincia  
in domibus professis, quantum fieri potest, com-  
morentur.

## De rebus collegiorum, & Domo- rum. Cap. IX.

73 **A** Edificia conseruari, & si opus erit instau-  
rari curet: quod si que adficanda maioris  
momenti fuerint, ut esset templum, dormitorium  
uel aliquid huiusmodi nisi approbante Generali  
non siant, ad quem pertinet formam, & modum  
nosterorum edificiorum praescribere.

74 Redditus, & reliqua stabilia conseruari cu-  
ret, & an crescant, uel minuantur, intelligat: si quis  
autem huiusmodi bona augere uellet, uel aliquid  
donare, poterit id admittere; si tamen conditiones  
alique exigerentur, non nisi approbante Generali  
ullam admittat: & eodem modo, que dantur do-  
mui professe accipere; & si quid stabile donatum  
fuerit, etiam uendere poterit: si tamen domui ne-  
cessarium pretium non esset, & trecentorum duca-  
trum valorem excederet, consulat Generalem, ut  
de eo iuxta ipsius prescriptum disponat.

Quam-

75 Quamuis potestatem habeat conseruandi, & defendendi res collegiorum etiam in iudicio cum facultate alios substituendi, si id necessarium, & conueniens fuerit, id tamen curabit efficere, ut omnes nostri, quoad fieri possit, lites fugiant. Quocirca primum compromissione rem nitatur componere, quod si id nulla ratione assequi possit, non concedat tamen litem intendi a nostris, nisi in re alioqui necessaria, & saltem postea de ea Generalem admoneat.

76 Intelligat, an exempla authentica contra-  
etuum maioris momenti, praesertim rerum perpetu-  
tarum ad Archivium, quod est in Urbe penes  
Prepositum Generalem, missa sint, alioqui mitten-  
da curabit.

In 1.congr.  
tit. 6. de-  
cret. 24.

77 Videat computa inter Superiorem, & Pro-  
curatorem transacta, rationemque exigat, accepti,  
& expensi, & resolutionem ultimi sui computi sum-  
matim scribi faciat, quam ipse subscribet in libro ad  
hoc designato: In hoc autem scripto, simul constet  
tam de summa accepti, & expensi ab ultima uis-  
tatione, quam de eo, quod residuum fuerit, uel etiam  
si quid debiti maneat.

78 Visitet bona stabilia extra domum, quae sine  
magno incommodo uisitari possint, ut uideat, num  
qua instauratione, uel cultura egeant, & quid ad eo-  
rum conseruationem opus sit.

79 Si domus, uel collegia cum commoda funda- P.4.c.2.§.1

B 2 tione

& p. 9. c. 3. tione offerentur, expendat quid ad commune bonum ex ijs speretur, & an aliquæ conditions exigantur, & an locus sit salubris, & omnia ad Generalem referat, nihil interim certi promittendo.

S. 17. Can. 34. 80 Magnum as alienum Collegia, vel Domos eri. cong. conflare non sinat, si soluendo fore probabiliter non speret, habita ratione reddituum, & eleemosinarum, quæ ordinarie dari solent, nec in ijs plures habitare permittat, quam ali possint.

Par. 4. c. 2. 81 Quando contribuendum erit ad sumptus communes Trouincia, statuat ipse quid cuique Collegio, vel Domui, seruata proportione debita imponi debeat.

S. 15. P. 6. cap. 2. 82 In uestitus ratione tria obseruari faciat; Primum, ut honestus ille sit: Alterum ut ad usum communem, & approbatum honestorum Sacerdotum eius loci, in quo uiuitur, accommodatus: Tertium, ut professioni paupertatis non repugnet.

83 Videat quomodo mobilia conseruentur, & eorum inuentarium conserri faciat cum inuentario in praecedenti visitatione a visitatore, vel Trouinciali subscripto.

84 Consideret habitationem, uestes, reliquam suppelæcilem, & officinas, nec necessaria deesse, aut superflua expendi permittat: obseruet etiam, quæ tenetur œconomia ratio, & num omnia sint munda.

85 Reliquias Sanctorum, quæ pertinent ad Ecclesiam alicuius Domus, vel Collegij, aut aliquam earum

*carum partent, neque externis, neque nostris det;*  
*nec permittat, ut a subordinatis Superioribus den-*  
*tur sine speciali facultate Præpositi Generalis.*

De iis, qui bonis suis nondum  
 se abdicarunt. Cap. x.

**N**O N permittat nostros abdicare se possessione  
 bonorum suorum nisi quos constantes, & sta-  
 biles in sua uocatione cognouerit, atque in eare ma-  
 turo semper consilio procedat.

87 Non sinat pactiones iniure nostros cum paren-  
 tibus suis, & quibuscumque alijs de legitima par-  
 te, & alijs bonis ad se pertinentibus, nisi illi prius  
 admoneantur, Societatem ipsam ad ea bona nullum  
 ius habere; & Generalis de tota re prius informetur.

88 Cum quis ex nostris est dispositurus de bo-  
 nis suis in auxilium Societatis, admoneatur Gene-  
 ralis de eorum valore, & de animo relinquentis,  
 & necessitate etiam Domorum, & Collegiorum pro-  
 vinciae, si in ea huiusmodi bona sint.

89 Si aliqua bona applicabuntur Societati cum  
 facultate Generalis, magnopere curet Provincialis,  
 ut cum ædificatione, & caritate, & non cum ri-  
 gore exigantur, potiusque per Procuratores exter-  
 nos, quam per nostros: expediet quoque, ut ex his  
 eleemosyna aliqua in pauperes eius oppidi, ubi sunt  
 bona, distribuantur: & ratio dati, & accepti talium

Can. 17.  
tr. congr.

Can. 15 &  
16. tr. cœg.

bonorum scripto constet, ut ipse, aut Superior illius  
Domus, vel Collegij, cui applicata fuerunt, eam red-  
dere possit ei, qui à Generali fuerit designatus.

90 Non ferat nostros quicquam petere à paren-  
tibus, cognatis, vel amicis, sed omnia eis necessaria

*s. In ex. c. à Societate prouideantur; intelligatur etiam si  
4. S. 4. & p. quibusdam ad tempus proprietas bonorum tempo-  
4. c. 4. li. E. ralium permittitur, usum tamen eorum ad propriam  
utilitatem nulli esse concedendum.*

De modo, quo cum Generali, &  
alijs Prouincijs, ac externis se  
habere debeat. Cap. x i.

91 **O**bedientem, reverentem, ac fidelem se Pre-  
posito Generali exhibeat, & in hac re sub-  
ditis in primis exemplum praebeat: idque potissi-  
mum curet, ut omnes de suis Superioribus bene sen-  
tiant, eisque peculiari deuotione afficiantur.

92 Perspecta Generali esse cupiat omnia, que  
ad suam Prouinciam pertinent, eaque per se, &  
Superiores domorum, & collegiorum, & Consul-  
tores sua prouincia iuxta formulam scribendi ma-  
nifestari diligenter curet.

93 Cogitat de communī bono Societatis; illudq;  
iuniet: congregations prouinciales suo tempore iux-  
ta formulam traditam cogat: si quid annotaserit  
circa

circa Decreta, & Constitutiones, vel quid aliud,  
quod Congregationem generalem exposcat, Præpo-  
sito Generali scribat, uel Procuratori tertio quoq;  
anno ad eundem venturo tradat.

94 Si occasio se obtulerit iuuandi alias prouin-  
cias, non desit caritatis officio; & litterarum com-  
municatione iuxta formulam scribendi mutuam  
concordiam & caritatem foueat.

95 Beneuolos, & deuotos conseruet, curetque, P. 10. li. B.  
ut benefactoribus se gratos nostri exhibeant; si qui  
autem aduersantur Societati, studeat, ut melius in-  
formati reconcilientur.

96 Quæ eleemosinae externis pauperibus, sive or-  
dinarie, sive extraordinarie dari debeant, ipse Supe-  
rioribus prescribet auditis Consultoribus pro Col-  
legij, uel Domus facultate: Vbi uero habentur bo-  
na ecclæstica eleemosinas aliquas fieri prouidebit  
et locis precipue, ubi huinsmodi redditus percipiuntur.

## De communi ratione iuuandi proximos. Cap. XI.

97 Intelligat præsertim sub finem studiorum, P. 4.c. 10.  
qui ex nostris, & quousque, quibusque ratio-S. 10. C. c.  
nibus domi, & foris externis se communicare de-6. S. 3. C.  
beant: quod tamen non nisi probatis, & in vocatio-  
ne stabilibus, discretis, & bene instructis, quique  
alios ædificare possint, concedendum erit.

B 4 Confide-

## 24 R E G U L A E

P. 4.c. 8.5. 98 Consideret num missæ celebrantur, & sacra-  
2. & p. 10. 2. menta alia ministrentur iuxta usum Romanae Ec-  
S. o. clesiae, concionandi etiam, & doctrinæ Christianæ  
docendæ modum obseruet: curetq; ut in his omni-  
bus nostri vñiformes sint, & ut finem, quem Socie-  
tas intendit aſequantur.

Can. 74. Videat, num in Domibus, & Collegijs concio-  
tr. cong. natores, & confessarij ad sua munera idonei sint, &  
statuat pro ratione instituti, & loci, quam frequen-  
ter domi, uel foris concionandum, uel publice le-  
gendum sit, uel doctrina Christiana tradenda, &  
tempore pestis aliqui ab eo designentur, qui separa-  
ti ab alijs proximis iuuandis uacent.

100 Det operam, ut confessarij maturioris sint  
ætatis quantum fieri potest, præsertim qui ad con-  
fessiones mulierum audiendas mittuntur.

P. 10.5. 12. 101 Curet ut nostri gratijs, & priuilegijs apo-  
stolicis prudenter, & moderate utantur.

102 Efficiet, ut in festis, que à nostris præcipue  
celebrari solent, ornatus nostrarum ecclesiarum sit  
moderatus, ac religiosus, & quoad fieri potest, si-  
ne nimia distractione nostrorum, & molestia ex-  
ternorum.

P. 4.c. 8.6. & 103 Curet, ut in ecclesiis Domorum professorum,  
p. 7. t. 4. & Collegiorum suæ prouincie ministeria Societa-  
tis iuxta constitutiones exerceantur: In ijs tamen  
locis, in quibus simul Domus professorum, & Col-  
legium fuerit, eiusmodi ministeria in Domo exercen-

da

*da curabit: In Collegijs uero ea, quæ ad studia literarum, & auxilium spirituale scholasticorum pertinent, tractanda sunt.*

104 Non permittat, ut cum congregationibus P.7.cap.4.  
externorum, quæ confraternitates dicuntur, nostri lit. 9.  
misceantur, nec in Domibus, uel Collegijs ulli con-  
uentus agantur, nisi qui ad finem earundem Domo-  
rum, & Collegiorum in diuino obsequio fient.

105 Si examinandi ministerium ab Ordinario in Can. 49.  
iunctum effugere nostri nulla ratione possint, illud tr. congr.  
tamen retinere nitantur, ne iudicium de admitten-  
dis, uel non admittendis ferant, sed illud omnino  
Prælatis relinquatur.

## De missionibus, & mutationibus nostrorum. Cap. XIII.

106 Prouincialis non abeat a sua Prouincia si-  
ne Generalis facultate, nec Præpositus,  
aut Rector à sua domo, uel collegio absq; licetia Pro-  
vincialis, nisi locus esset vicinus, aut sine graui incô-  
modo Superioris responsum expectari non posset.

107 In mittendis operarijs per Prouinciam extra  
domos, & collegia, ut in uinea Domini laborent,  
obseruet que in constitutionibus, & regulis missio-  
num dicuntur: uideat tamen ne Domus, & Colle-  
gia necessarijs ministris destituantur.

108 Quocunque mittat aliquem, eum per se, uel  
alium

P. 7. c. 1. S. alium plene instruat, & ordinarie in scriptis tam  
 s. & c. 2. S. de modo procedendi, quam de medijs, quibus eum  
 2. & can. uti uelit ad finem, quem in animo habet.

7. tr. cōg. P. 7. c. 2. 109 Per crebram litterarum communicationem  
 S. 2. iuxta formulam scribendi totius successus certior  
 factus ex eo loco, ubi ipse commoratur, consilio, &  
 orationibus, & alijs rationibus eum iuuabit, ut per  
 sona, & negotium postulanerit.

110 Optimi quique, & maturiores ad proximos  
 iuuandos, quantum commode fieri poterit, mittan-  
 tur, & si ei uidebitur expedire, alicui Superiori ui-  
 cinioris domus, uel collegij subiiciantur.

Par. 7. c. 2. lit. H. 111 Cum mutari aliquem oportebit animaduer-  
 sat, ut ad eum renocandum, quoad fieri poterit,  
 ijs medijs utatur, ut ij, à quibus euocatur, potius be-  
 neuoli omnino maneant, quam offensi, uel ma-  
 le affecti.

In Bullaz. 112 Si missum a Superiore, uel a summo Pon-  
 Pauli 3. fice minus utiliter occupari uideret, Generalem ad-  
 moneat.

113 Extra Provinciam suam neminem mittat,  
 nec etiam adlaborandum in uinea Domini, nisi ne-  
 gotij alicuius, aut peregrinationis causa, aut nisi ei  
 constaret de Generalis uoluntate, uel conueniret  
 cum Provinciali illius provinciae, ad quam mittere  
 aliquem uoluerit: in Provincijs tamen transmarinis  
 b.e transmutationes sine facultate Generalis ne-  
 fiant.

Muta-

114 Mutationes personarum ab uno in alium locum Can. 106.  
cum sue Prouinciae ad ipsum pertinent, quæ tam  
men fieri non debent sine causa alicuius momenti,  
nec cum detrimento, quantum fieri potest, eius loci  
à quo amouentur.

115 Cum peregre erit nostris proficendum, ali  
quem, cui maximè confidat præficiet, cui toto itine-  
ris tempore cæteri tamquam Superiori in omnibus  
obediant.

116 Ad retinendam religiosam disciplinam, C. 62.  
et paupertatis rationem det operam, ut nostri  
in profectionibus, quos ipsorum Superiores id præ-  
stare posse indicauerint, in toto uel in parte pede-  
stri itinere utantur, et in equitando solius nece-  
ssitatis sine persona, sine negotiorum ratio ha-  
beatur.

117 Expensas itinerum soluere eius erit Pro- C. 31.  
vincie, aut Collegij, aut Domus in cuius bonum, tri.congr.  
et utilitatem cedit profectio: quod si in ea re du-  
bius esset, arbitrio ipsius auditis Consultoribus  
statuendum relinquitur: si aliquando tamen in-  
ter aliquos Prouinciales non conueniret, recur-  
rant ad Generalem.

118 Quando quis ab uno loco ad alium transfer- P. 3. c. 1.  
tur, Superior ad quem talis mittitur informandus lit. A.  
est, quantum ad cognoscendum, et iuuandum eum  
sit satis. Neminem autem ex uno in alium locum  
ire permittat sine litteris patentibus.

De

## De uisitatione. Cap. xiiii.

Can. 76.  
tr. cong.  
Op. 8. c. i.  
lit. I.

119 **S**ingulis annis per se ipsum singula loca sua  
Prouinciae uisitare, cum hoc sit ualde pro-  
prium sui officij, & ibi diutius immoretur, ubi  
magis erit opus, præsertim in loco ad communica-  
tionem cum inferioribus, & Generali Proposito  
magis commodo.

120 Si quando ob causas grauiores uisitare om-  
nia loca sua Prouinciae ipse non possit, re cum suis  
Consuloribus collata, adea quæ non potest, sibi  
alium substituat.

121 Cum ad Domum, uel Collegium aliquod  
peruenierit, Superiorem interroget, num aliquid ur-  
geat, cui statim necessario sit remedium adhiben-  
dum, & Visitationes præteritas petat, deinde om-  
nes simul benigne alloquatur, eosque ad reuocatio-  
nem in spiritu, & studium perfectionis hortetur.

122 Incipiat Visitationem à templo cuius ostio  
clauso videat quomodo custodiatur Sanctissimum  
Eucharistia Sacramentum: mox uisitet sacrum  
infirmorum oleum, & sanctorum reliquias, alta-  
ria, sedesque Confessorum, atque alia, que tam  
in templo, quam in Sacristoria ad diuinum cultum per-  
tinent.

123 Postea ad uisitationem personarum accedat,  
& curet, ut omnibus beneuolum se exhibeat, ne  
alicuius mentem subeat suspicio, quod ob sinistras  
ali-

*aliquas informationes minus hilarem vultum ipsi ostendat.*

124 Petat à Superiore, & consequenter à Consultoribus, & ab aliquibus Patribus antiquioribus uel præcipuis officialibus, ut ea, quæ sciunt alicuius momenti de statu Collegij, uel Domus, aut de personis referant: quod si iudicauerit expedire, iubere poterit, ut informationes, huiusmodi, uel partem eorum breuiter scribant, & sibi tradant: scripta autem, quæ secretum continent, clausa ipse diligentissime seruet, caueat quæ ne minimo quidem indicio eos, qui sibi aliquid referunt, prodat.

125 Huiusmodi informationibus acceptis, & consideratis, percurrat cum Superiore catalogum personarum domus, uel collegij, breuemque desingulis ab eo capiat informationem.

126 Deinde uocet sigillatim omnes eo ordine, qui ei magis conuenire uidebitur, & singulos seorsum, ac pedetentim interroget iuxta interrogatoria inferius posita, quæ memoriter potius, quam scripto proponi debent: quæ autem circa unumquemque aduertenda iudicauerit, eo auditio ipse scribat, ut melius possit eorum recordari.

127 Non omnia, quæ in interrogatorijs habentur, à singulis sunt petenda, sed prudentia eius relinquitur, quid ab hoc, uel ab illo interrogandum sit, quin etiam & alia interrogare posset, quæ in interrogatorijs non continentur, si id opportunum iudi-

*iudicaret.*

128 *Hortetur omnes ad ueritatem sincere dicendam , ne ipsis imputetur , si morbi propter eorum silentium incogniti , & latentes curari non possint .*

129 *Admoneantur etiam omnes , teneri eos servare sub secreto , quicquid cum eo , quod secretum requirit , transegerint , licet a quoniam alio , qui ipso sit inferior de eare interrogentur .*

130 *Non facile credat , si quae forsan contra alios , praesertim Superiores dicentur , sed ea notet , & expendat , ut ueritatem afferatur .*

Par. 8. c. I.  
§. 5.

131 *Si quis diuisionis , aut dissensionis eorum , qui una viuunt , inter se , uel cum suo capite author esse inueniretur , diligentissime ab ea congregatione , uelut pestis , quae eam potest inficere , si praesens remedium non adhibeatur , separandus est .*

132 *Visitatio rerum , aut partium domus iuxta ea , quae in precedentibus regulis , praesertim in nono capite huius officij dicta sunt , fieri debet , in qua simul examinande sunt regulæ officialium , qui eiusmodi rerum curam habent ; si quid autem , non solum informationem , sed inspectionem requirat , ipse per se , aut per socium id præstabit .*

133 *Summarium Constitutionum , & regulas communes coram Superiore , Consuloribus , & Ministro examinabit , & si quas non obseruari intellexerit , consideratis causis remedia adhibebit ,*

bit, ut obseruari possint, Regulas autem Ministri, Consultorum, & Admonitoris, Concionatorum, & Sacerdotum, itemque præcipuorum officialium ipse per se cum ijsdem examinabit: reliquas uero aliorum officialium poterit socio, aut alteri coram singulis eorum examinandas committere.

134 Prouincialis integrum rationem totius <sup>In ex.c. 4.</sup>  
anteactæ uitæ iuxta constitutiones ab ijs exigat,  
qui Societatem ingrediuntur: quod si id aliquando  
per se præstare non poterit, substituat ad id ordi-  
narie Superiorem Domus, uel Collegij. Singulis  
uero annis in quacunque Domo, uel Collegio sue  
Prouincie absoluta rerum domesticarum uisitatio-  
ne, aut in ipso uisitationis decursu (si id opportu-  
nius in aliquibus fore iudicaret) rationem consciencie  
ab omnibus accipiat ab ultima, quam reddide-  
runt iuxta interrogatorium secretum. Quod si uisi-  
tatio circa renouationem uotorum inciderit (quam  
extra statutum tempus ratione sui aduentus in Do-  
mum aliquam, uel Collegium præsertim magnum  
per unum, aut alterum mensem premittere, aut  
differre poterit) ipse ad excipiendas confessiones  
generales nostrorum aliquos Patres probatos, &  
maturiores designabit, eosque qui sibi confiteri uo-  
lent, benigne audiet.

135 Postremum omnium uisitet Superiorem  
Domus, uel Collegij circa ea, quæ ad personam,



*& officium eius attinent, iuxta officij eius regulas, & ea, quæ ex acceptis informationibus collegerit.*

136 *Visitatione cuiusque Domus, uel Collegij absoluta, & rebus omnibus perspectis, ut laboris sui fructum capiat, denuo omnia, quæ accepit in visitatione, consideret, & ea quæ maioris momenti sunt, diligentius expendat, quid item clarum, quidue tantum probabile uideatur, & de quibus Generalis consulendus est, & quæ cum solo Superiore Domus, uel Collegij, quæ etiam cum Consultoribus, & quæ cum alijs particularibus sint transigenda diligenter discernat.*

137 *Postquam apud se omnia constituerit, & quæ scribenda sunt scriperit, ijs etiam, quos de qua re melius iudicare posse confidet, hæc, uel illa ex pendenda tradat, & ante quam ultimam executionis manum rebus imponat, omnia in orationibus, & missarum sacrificijs Deo commendet, ut iuxta ipsius diuinum beneplacitum dirigantur.*



De

**D E I I S , Q V A E I N V I S I -**  
**tatione interroganda sunt.**

C A P . X V .

Interrogatorium de ijs, quæ ad gubernationem pertinent, Superioribus, & Consulteribus, & alijs quibus uidebitur, proponendum.

**N T E R R O G E T** si quid grauius in ea Domo, uel Collegio accidisse extra confessionem intellecterit, & quod remedium sit adhibitum.

2 Quomodo seruentur regulæ, quæ ad Nouitios pertinent.

3 An aliqui, praesertim pueri, aut mulieres ad uota emittenda inducantur, uel ad consilia alia obseruanda indiscreta trahantur.

4 An quis domi nimis affectus uideatur ad cōsanguineos, uel ad eorum subuentionem teneatur.

5 De numero, & sufficientia Confessariorum, & de frequentia, & fructu confitentium.

6 An aliqui videantur finitis iam studijs educendi ē Collegijs.

7 An infirmi, hospitalia, carceres, & triremes (ubi essent) visitentur, & adiuuentur à nostris.

C Ex

8 Ex quibus operibus pijs, iuxta nostrum institutum, maior fructus percipiatur.

9 De cura in tradendis spiritualibus exercitijs, & qua exactione.

10 De modo conuersandi iuxta rationem, & finem nostri instituti.

11 De missionibus, & earum fructu, & modo procedendi eorum, qui mittuntur.

12 An aliqui pretextu valetudinis iuuanda à spiritus perfectione degenerent, & à laboribus nostri instituti abhorreant, atque ad otium aspirent.

13 An aliqua ambitionis indicia in aliquo appareant.

14 Que eleemosinæ externis pauperibus dentur.

### Interrogatorium, quod omnibus proponi potest.

15 Q uomodo ualeat corpore, & viribus, & quomodo ei conueniat ratio uictus, uestitus, cubiculi, & exercitationis corporalis, quae uitetur.

16 Si quid dubitationis, aut difficultatis, si quid etiam ad suam consolationem, instructionem, aut prosectorum fore putat, confidenter proponat.

17 Quod ad alios attinet, interrogetur quomodo tractetur à suis Superioribus, & quid sentiat de ipsis, tam de personis, quam de officijs eorum.

An

18 An aliquis Superior impedierit libertatem subditorum scribendi ad Superiores mediatos, aut verbis, signo, aut aliquo alio modo significauerit, ei non placere, ut nostri de ipso, aut eius gubernatione, ad eosdem scribant.

19 An nouerit extra confessionem aliquid de quauis persona, quod non ei probetur, ut de inobedientia, murmuratione, conſpirationibus, præſertim contra Superiores, & ſiquid parum honestum, & incautum in familiaritate nimia cum aliqua persona accidiffet, uel contra de diſſenſione.

20 Quomodo feruentur domi conſtitutiones, decreta, regulæ, communis ordo, & ordinationes, que à Præpoſito Generali, & alijs Superioribus emanant.

21 Quomodo exerceantur ministeria Societatis erga externos, quod ad modum, & fructum attinet.

22 Quis ſit profeclus noſtrorum in rebus ſpirituallibus, & quod omnium in solidis virtutibus acquirendis ſtudium.

23 Si de ijs etiam, que pertinent ad alias Domus, & Collegia totius Provinciæ aliquid habet, quod alicuius momenti uideatur, libere proponat.

### Pro Scholaſticis addatur.

24 Quid ingenij, memorie, uirium, & propensionis ad litteras in ſe experiatur.

25 An occupatione exteriore, uel ſtudijs remo-

C 2 ueatur,

36

R E G U L A E

ueatur, uel distrahatur à rebus spiritualibus.

26 An habeat libros necessarios, & an scribat, legat, disputet.

27 De suo profectu in litteris quid sentiat.

28 An omnia experimenta Societatis fecerit, & quo fructu.

De ijs, qui in probatione  
versantur.

29 An firmus sit in proposito viuendi, & moriendi in Societate.

30 An sit indifferens ad quemlibet gradum, ministeria, & exercitia Societatis, prout obedientia constituerit.

31 An exercitia spiritualia, uel aliqua alia experimenta fecerit, & in quibus plus profecerit, & alia si uidebitur ex examine.

Interrogatorium secretum pro exi-  
genda ratione conscientiæ.

32 Interrogetur quisque, quomodo uiuat conten-  
tus iuxta suam uocationem, & quid sentiat  
de ipso instituto Societatis, & medijs, quibus illa  
uiuit ad suum finem consequendum, & quem ex-  
perie-

periatur in se zelum animarum.

33 Quomodo spiritualibus rebus sit affectus, quantum temporis orationi tribuat, & num uocali, aut potius mentali iuuetur, & ut ipsius temporis tribuat, & quem modum in orando teneat.

34 Num in usu rerum spiritualium consolacionem, & devotionem habeat, an uero contra desolationem, ariditatem, & uagationem animi patitur, & quomodo in ijs se gerat.

35 De fructu, quem ex communione, confessione, examine presertim particulari, & alijs exercitijs spiritualibus percipiat.

36 Num post ultimam rationem conscientia, quam reddidit, maiorem, an minorem fructum fecerit, & quem animum experiatur ad perfectiōnem consequendam.

37 Quomodo obseruet, quae ex constitutionibus, & regulis tum communibus, tum officij sui ad eum pertinent.

38 Quomodo se habeat circa obedientiam etiam intellectus, paupertatem, casitatem, & usum aliarum virtutum, & quarum praecipue studio intentus sit.

39 An sentiat aliquas animi perturbationes, aut tentationes molestas, & de facilitate, seu difficultate, & modo eis resistendi, & ad quos affectus, uel peccata sit magis propensus, & incitatus.

40 De mortificationibus, pœnitentijs, & alijs exercita-

## 38 R E G . P R O V I N C I A L I S .

*exercitationibus, quæ faciunt ad spiritus profectum, & in specie de præparatione ad iniurias, & ad alia, quæ ad Christi crucem pertinent ferenda, ac que de eorum desiderio.*

41 *De socijs, & quomodo ex eorum conuersatione proficiat in Domino, & an alicui plus sit familiaris, quam alijs.*

42 *An auersionem animi sentiat ab aliquo, & an offensus sit in aliquo à Superioribus, uel officiis, uel quavis alia persona, & quomodo sit affectus erga Superiores.*

43 *An temptationes aliquas sit paſsus, quas alij intellexerint, praesertim circa uocationem.*

44 *An contra constitutiones, uel regulam aliquam, uel ordinationem Superiorum firmum iudicium habuerit, uel contra eam disputauerit.*

45 *Demum admoneatur, ut magna cum puritate, & humilitate sub sigillo confessionis, aut secreti, aut quacunque ratione ipsi placuerit, & ad maiorem ipsius consolationem fuerit, totam animam suam integre manifestam faciat, nullam rem celando, qua Dominum vniuersorum offenderit post ultimam rationem redditam conscientia, uel certe appetiat eos defectus, qui magis ab eo tempore gravauant ipsius animam.*



# INDEX CAPITVM REGVLARVM PROVINCIALIS.

- I**E iis, quæ ad eius personam & communem totius Prouinciae administrationem spectant. Cap. I. pag. 3.  
De ijs, quæ illum ad bonam Prouinciae administrationem iuuabunt. Cap. II. p. 5.  
De Superioribus ei subordinatis, & eorum officiis. Cap. III. p. 7.  
De Admittendis Cap. IIII. p. 9.  
De Dimittendis. Cap. V. p. 11.  
De Litterarum studijs Cap. VI. p. 12.  
De Promouendis ad ordines, & gradus literarios Cap. VII. p. 15.  
De promouendis in professos, & coadiutores formatos, ac scholares Cap. VIII. p. 16.  
Derebus Collegiorum & Domorum Cap. IX. p. 18.  
De ijs, qui bonis suis nondum se abdicarunt. Cap. X. p. 21.  
De modo, quo cum Generali, & alijs prouinciis, ac externis se habere debeat Cap. XI. p. 22.  
De communi ratione iuuandi proximos . Cap. XII. p. 23.  
De missionibus, & mutationibus nostrorum . Cap. XIII. p. 25.  
De Visitacione Cap. XIIII. p. 28.  
De ijs, quæ in visitatione interroganda sunt. Cap. XV. p. 33.




МУТИА ГАРДИ  
ИЧОВАЯ ПРОVINCIALIS.

Inv. 81397

Fondo librario antico dei Gesuiti italiani  
[www.fondolibrarioantico.it](http://www.fondolibrarioantico.it)

REGVLAE  
PRAEPOSITI  
DOMVS  
PROFESSAE.



VENETIIS, M D LXXX.

*Cum facultate superiorum.*

Fondo librario antico dei Gesuiti italiani  
[www.fondolibrarioantico.it](http://www.fondolibrarioantico.it)



Cinquecentina

n. 391

18

Fondo librario antico dei Gesuiti italiani

[www.fondolibrarioantico.it](http://www.fondolibrarioantico.it)

Fondo librario antico dei Gesuiti italiani  
[www.fondolibrarioantico.it](http://www.fondolibrarioantico.it)



ndo librario antico dei Gesuiti italiani  
[www.fondolibrarioantico.it](http://www.fondolibrarioantico.it)